



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatvs Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

14. Tempus Miraculorum S. VVillehadi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

manere cognouissent, nec timerent licet
vastatam denuo inhabitare patriam, in
qua sibi adesse Sanctissimi Patris non dif-
federent merita: immo laeti desertas repe-
terent sedes, quos licet hostilis incursio fe-
cerit exules, bonis exuberantes diuina rur-
sus reconciliauerit benignitas. Nec dispe-
rent sibi præsidia Sancti in omnibus affu-
tura, cuius virtutem tam multiplicem in
sanandis variè vexatorum senserunt fla-
grare corporibus.

C A P V T X I V .

*Tempus miraculorum.**S. VVillehadi.*

Anno itaque incarnationis Domi-
nicæ DCCC LX. Regni verò Do-
mini nostri Serenissimi Principis HLu-
douici XXVIII. Indictione VIII. in Ec-
clesia Bremensi cœperunt diuinitus agi
miracula, & de die in diem semper mul-
tiplicius crescere, ita ut iam longè lateque
per populos rumor increbresceret pluri-
mus, verè diuinam in eodem loco appa-
ruisse gloriam, & merita Beati VVillehadi
in eadem Basilica requiescentis honora-
bili virtutum flore pullulare. Quæ cum
per multorum ora volarentur, & tam
in præuentiâ nostri, quam etiam absenti-
bus nobis, publicè multi ibidem sanitatis
adipiscerentur commoda; decreuimus hæc

B 4

cadem

eadem literis comprehensa posteriorū trādere memoriā: quō vñā nobiscum Deum qui in Sanctis suis operatur, omnis fidelium natio gauſa collaudet. Et sicut præſentes per ſingula, quæ tunc forte miranda contigerint, in Domini laudib⁹ tripu- diando conclamant; ita etiam pōst futura religiosorum ſocietas, cœleſtem in Beato viro congratulans ammiretur poteritiam. Abhinc igitur miraculorum gera ordiri incipientes, primò tempus quoque ipsum, quo hæc agi cœperunt, inſinuamus, ſcilicet, post Pentecosten, Anno Natiuitatis Do- mini ſupradicto; post transitum vero Beat⁹ viri circuit⁹ annis euolutis 70. Qui ta- men prius, & in multis Deo dignus appa- ruit: quamquam hæc negligentia abolta non fuerint celebri peruulgata ſermone.

Deinde & nomina eorum qui ſunt curati, vñā cum valetudinis morbo; ſed & loca quoque, in quibus vel progeniti, vel con- uerti fuerant, partim prout res ſe habe- bat, interſerendo teximus: quō & veritas miraculorum multiplicius atreſtata com- mendetur, & ſinguli ex propinquis vel vi- cinis ſuiseius ſubſidio medicatis, quantum

Beati viri perſenſerint grariam,
deuotius recognoscant.

CAP.